



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Visitationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

CAPVT III.

De Iurisdictione Epif. in uifitationibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De uifitationibus in genere.

- 1 *Uifitare tenetur Epifcopus Diœceſim ſuam ſemel in anno.*
- 2 *Epifcopi uita debet eſſe exemplo alijs.*
- 3 *Epifcopus miſſam ſingulis diebus audire debet.*
- 4 *Epifcopus an poſſit tenere familiam armatam.*
- 5 *Uifitationem præcedere debet intimatio.*

Non ſolum in Synodali Congregatione de qua ſupra egimus, ſed etiam in uifitatione particulari tenetur Epifcopus inquirere & corrigere defectus ſubditorum ſuorum. Vnde omnes Eccleſias ſibi ſubiectas, totamque Diœceſim ad minus ſemel quolibet biennio circumire obligatur. *c. Epifcopum. 10. q. 1. gl. ſin. & Abb. in cap. cum venerabilis de cenſ. Rot. decif. 263. in no. & decif. 166. p. 1. diuerſ. quod poſt iura antiqua inno- uauit, & proinde ordinauit Concil. Trid. ſeſ. 24. cap. 3. de ref.* Non tamen obligatur Epifcopus intra hoc tempus expedire uifitationem ſuam, ut reſpondit S. Cong. Conc. Epifcopo Aſtoricen. *in hæc uerba.*

Dubitauit Epifcopus Aſtoricen. an teneretur ſuam Uifitationē concludere intra certum & determinatum tempus, iuxta latitudinem ſua Diœceſis. Congr. eſt ſuit conſiliū nullū tempus ad hoc præſcripſiſſe; ſed reliquiſſe arbitrio Epifcopi, quod tamē debet eſſe moderatum & diſcretū.

2 Sed quoniam nihil magis alios ædificat, quam innocentia Prælatorum, ſicut è conuerſo maiorum delicta facile

trahuntur à ſubditis in exemplum. *cap. nemo. 33. diſt. cap. præcipue. 11. queſt. 3.* ne Uifitator uolens iudicis exhibere medicamenta ſalutis præbeat mortis exempla, prius domum ſuam reformare, moreiq; & vitam ad ſanctorum Canonum præſcripta componere, ac factis ipsis & actionibus ſe muneri ſuo conformem oſtendere deberet. Ideò nos quoque pauca de norma in uiuendo ab Epifcopo ſeruanda uifitationi præmittamus, non noſtris uerbis in materia tam graui vluri. cit. Conc. Trident. ſeſ. 25. cap. de ref. quæ ſequuntur.

Optandum & infra. Quapropter exemplum Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolum iubet ut Epifcopi modèſta ſuppellectili & menſa, ac frugali victu contenti ſint, uerum tamen in reliquo uita genere, ac tota domo, caueant ne quid appareat; quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodq; non ſimplicitatem, Dei Zelum, ac uanitatium contemptum præſeruat: omnino uerò eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſia conſanguineos familiares ſue ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibe-

prohibeant, ne res Ecclesiasticas quae Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, ut pauperioribus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Imo quam maxime potest, eos sancta Synodus monet ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque, carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant, &c.

Præcipue autem contendere deberet Episcopus, ut sit norma cæteris in frequentando Ecclesiis & vacando Diuinis, quæ & tenetur ad minus diebus festis, nisi impediatur infirmitate, accedere ad audiendum publice Diuina in viciniori Ecclesia. c. Episcopus de consecr. dist. 3. cap. magna de vot. & vore. Host. Abb. u. tenetur & residere penes propriam Ecclesiam. cap. peruenit. 7. quest. 1. cit. Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de ref. Debet celebrare missam quotidie vel ad minus audire. cap. fin. de priuil. in 6. Abb. in cap. 1. num. 10. de vit. & hon. Cler. & in Clem. 1. num. 3. de celeb. miss. Tenetur prædicare præsertim dum visitat, cum ad ipsum proprie spectet prædicationis officium. c. placuit. loc. quest. 1. Abb. in cap. inter cætera. de off. ord. num. 1. Conc. Trid. 24. cap. 4. de ref.

Viros item boni testimonij graues, doctos, circa se habere debet Episcopus, & non nisi per Clericos in cubiculo sibi inferuiri facere. cap. cum Pastoris. & cap. ult. 2. quest. 7. Et quia domus Episcopi quasi in speculo est posita, estque magistra publicæ disciplinæ, & quicquid in ea agitur id omnes putant sibi quoque licere, prouidere debet Episcopus, ut tota familia sua sit honesta, ad hoc optime faciunt verba S. Bernardi ad

Eugenium lib. 4. c. 16. ubi dicit.

Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omni sint. ament te domestici, si non, facito ut te timeant: alius alia dispenset, de disciplina tu prouide, illud nemini credas, pertinet ad te ut his quos præ oculis habes, quatenus totius honestatis ac concordie speculum sint, & forma Non licet tibi ut vitia domus tuæ ultimus scias: si insolentior sermo coram te sonuerit, si indecens habitus apparuerit, manus tua sit super huiusmodi, tu ulciscere iniuriam Dei, in vultu, in habitu, in incessu illorum qui tecum sunt, nihil residere impudicium, vel indecens patiaris &c.

Maxime autem tam in sua persona, quam in suis ministris auaritiæ suspicionem vitare debet. cap. cum ab omni. de vit. & honest. Cler. cap. 1. § procuratores. de cens. in 6. cit. Conc. Trid. sess. 21. c. 1. de ref.

Hoc eodem loco non incongruè queri potest, num Episcopus possit tenere familiam armatam. Et quidem cum Ecclesiasticus Iudex habeat carcerem, & possit infligere pœnas corporis in causis ad forum ipsius spectantibus. c. contra idolorum. 26. q. 5. c. cum Episcopus. de off. ord. in 6. Abb. in cap. 1. co. tit. Dec. cons. 151. in princ. & cons. 300. num. 4. rationabiliter concludi posset, quod debeat etiam habere executores armatos, per quos reos capere, in carcerem detrudere & punire valeat. cap. attendendum. 17. q. 4. Dec. in cap. significasti. num. 19. de off. deleg. tanto magis si haberet Dominium temporale. Abb. in cit. cap. significasti. num. fin. de off. deleg. vel ad minus non posset illi requirenti denegare Iudex

Laicus suā familiam pro executione faciendā. *cap. Principes. cap. Administratores. 23. q. 5. ad hoc videri possunt. Anchar. in c. cū Episcopus. de off. ord. in 6. Dom. Franc. ib. Felin. in cit. cap. significasti. de off. deleg. Oldrad. cons. 86. Couar. pract. quæst. cap. 10. Diaz. in pract. crim. c. 153.*

5. Quod autem ad ordinem in ipsa Visitatione prosequenda seruandum atti-

net, antequam ipsa incipiat, promouendi sunt subditi generali per Ecclesias publicato edicto de visitatione celebranda, tempusque ipsius & locus à quo incipiendum sit, intimandus: cuius intimationis forma videri potest apud Ant. Resta. in suo Direct. visit. Reliqua autem in visitatione obseruanda, quo meliori methodo explicentur, distinctè de locis visitandis videamus.

ARTICVLVS II. De visitatione Ecclesiæ Cathedralis.

- 1 Cathedralis Ecclesia non potest defendi exemptione quo minus visitetur.
- 2 Episcopus potest assumere iurisperitos extraneos dum visitat Capitulum suum.
- 3 Canonici in receptione an possit exigi aliqua solutio.
- 4 Statuta Capituli debent esse rationabilia.
- 5 Fidei professio emittenda in receptione Canonicatus.
- 6 Archidiaconus & Scholasticus debet esse Doctor.
- 7 Episcopus non tenetur sequi consilium Capituli in assignandis ordinibus cuique prabende.
- 8 Canonicus antequam habeat ordinem sue prabende annexum non habet vocem in Capitulo.
- 9 Prabenda Theologica debet constitui in qualibet Cathedrali.
- 10 Distributiones vbi sunt sufficientes an possit pro illis detrahi tertia pars fructuum prabendarum.
- 11 Distributiones non debent dari nisi interessentibus in choro.
- 12 Vicarius absens à choro propter exercitium officij sui non lucratur distributiones quotidianas.
- 13 Vicarius Capituli Sede vacante an percipiat absens distributiones quotidianas.
- 14 Episcopus obtinens portionem Canonicalem censetur vt alius Canonicus.
- 15 Distributiones absentium an accrescant presentibus.
- 16 Distributiones quando lucentur absentes à choro.
- 17 Distributiones non computantur in valore beneficij.
- 18 Distributiones grosse quando debentur absentibus.
- 19 Canonicus non residens puniri potest alyis pœnis, quam amissione distributionum.
- 20 Canonicus licitè potest abesse per tres menses in anno à sua Ecclesia.
- 21 Beneficia curata adnexa Cathedrali Ecclesia, quomodo debeant prouideri.
- 22 Canonicatus Cathedralis cum curato non potest retineri sine dispensatione.